

INDEX DISPUTATIONUM
Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-
vina essentia differentis
notis characteristicis ordine
et de generatione ac divi-
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti
ejusque aeterna processione
a Patre et filio, et de Sa-
cramentis tam veteribus quam
recentioribus etc.

Ex articulo 2. Aug. Conf.

5 De peccato originali per
difficiliorem stragem plurimum
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum
sanctum sive peccatum ad
mortem.

Ex articulo 3. Conf. Aug.

7 De unione hypostatica di-
varum naturarum in Christo

8 De communicatione et
naturarum et earum de-
terminatum in Christo.

9 De officio Christi sacerdo-
tali et statu humilitatis

10 De officio Christi re-
gio, et statu exalta-
tionis.

Ex articulo 4. et 20. Aug.

11 De justificatione ho-
minis peccatoris coram
Deo.

12 De efficacia ministerii
verbi et sacramentorum
Dei. Ministerium Ecclē-
siae vocatione.

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De sacramento ingere-
re. 13. a. c. 4.

16 De baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De poenitentia et
Confessione. 11. 12

19 De Traditionibus hu-
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus
et potestate Ecclesi-
astica. 16. c. 17

21 De extremo pudore

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu sanctorum

25 Ex Jerem. Ecce agnus
illi Dei qui tollit peccata
mundi

26 De verbo Dei
scripto seu scriptura

IN SACRA.

DISPUTATIO XI.

De

IVSTIFICA-
TIONE HOMINIS
PECCATORIS CO-

RAM DEO:

ET DE

BONIS OPERIBVS:

Cujus theses

Deo benè iuvante,

PRÆSIDE

LEONHARTO HVTTERO,

SS. THEOLOGIAE


DOCTORE:

Ad XI. Septemb. Anni c 19. 19. XCVI.

*horis & loco consuetis defende-
re conabitur*

M. NICOLAUS REBHAN

Hainersdorfensis Fr.



I E N Æ

TYPIS TOBIAE STEINMANNI.





R E V E R E N D I S, C L A -
R I S S I M I S E T D O C T I S -
simis viris,

Dn. S V P E R I N T E N D E N T I,
E T R E L I Q V I S V E R B I D I V I N I
in Ecclesia Coburgensi ministris
fidelissimis:

DD. Et fautoribus suis summa
observantia colendis:

Hanc de justificatione gratuita ho-
minis peccatoris coram Deo,
Deq; bonis operibus, dis-
putationem nun-
cupat

M. N I C O L A V S R E B H A N,





De justificatione hominis peccatoris
coram Deo: & de bonis
operibus.

QVÆSTIO:

Cum omnes homines secundum naturam pro-
pagati, simus inimici Dei, injusti, & æternæ damnatio-
nis rei: quæritur quâ ratione cum Deo in gratiam res-
dire, justificari ac æternæ vitæ hæredes effici quea-
mus.

T H E S I S I.



D H O C ἡσμενον satis responsum
iri & resectum omne simul erroris lolium,
si ὁ εἰσὸν ipsum justificationis in medium
allatum discutiamus, omninò persuasum
nobis habemus.

2. Ac vocabulum quidem quod atti- Definitio
nominis.
net justificationis, cum sit illud scriptura sacra proprium
ac peculiare; de ejus genuina significatione non è Gram-
maticorum regulis & analogia latine compositionis, sed
ipsius Spiritus sancti etymologiâ judicandum erit.

3. Forenssem verò nobis significationem ejus produunt
β. litera, ut nimirum justicare idem notet, quod hominem
peccatorem ac injustum coram tribunali judicij divini
condonatis peccatis & imputata Christi justitiâ justum re-
putare.

4. Patet hoc ex ijs scripturarum testimonijs, quibus
homo coram dicasterio divino velut reus sistitur, accusa-
tur,

tur, & vel absolvitur justusq; reputatur; vel condemna-
tur: qualia sunt Psal. 143, 2. Luc. 18, 13. 14. Rom. 3. & 8,
33. 34.

5. Hic ergo primò fronte statim atro carbone notan-
da venit Pontificiorum corruptela, qui justificare idem ef-
se, ac ex injusto per infusum justitiae habitum justum fieri,
effusa in Spiritus sancti interpretationem injustitiã, nus-
gantur.

Rei defini-
tio.

6. Ipsa porro justificatio nihil est aliud, quàm actio,
quã homo peccator divina legis maledictio territus & ad
thronum gratiae confugiens, à Deo misericordiae, gratis, sine
ullo humano merito, tantùm propter Christi obedientiam,
verbo Evangelij & Sacramentis oblatam verag; fide ap-
prehensam, remissis peccatis, justus reputatur: in hoc, ut
sic in filium Dei adoptatus donatusq; Spiritu sancto in no-
vitate vitae ambulet, & aeternum in vita beata Deum ce-
lebrat.

7. Causarum complexu definitio isthac expeditur:
quarum singulas ordine ad verbi divini trutinam appen-
demus.

Materia
circa
quam.

8. Materia justificationis (quae primo loco assignatur)
seu potius *το ονειρενον* justificandum duplex nobis à sacris
litteris monstratur, remotius unum & informe: alterum
propinquum & formatum.

9. Illud vocamus universum genus humanum, quod
dilexit Deus, & pro eodem tradendo filium in mortem ju-
stitiae ac salutis aeternae particeps fieri cupit. Ioh. 3, 16. 1.
Tim. 3, 4. 6.

10. Repudiamus hic impium Calvinistarum dogma,
quo dilectionem Dei & mortem atq; meritum Christi
ipsamq; justificationem ad suos tantùm fataliter electos,
quales in rerum natura nulli fuerunt, sunt, nec futuri un-
quam, illi restringunt.

Posterius

11. Posterius hoc, propinquum sc. & formatum, sunt homines peccatores, voce legis divinae territi & contriti, veraq; fide ad Christum mediatorem confugientes.

12. Quâ determinatione Origenis & Anabaptistarum quorundam portenta refutantur, qui Christum pro demonibus etiam vel jam crucifixum, vel in futuro seculo crucifigendum, omnesq; tandem homines impios ac diabolos justificandos & salvandos esse sentiunt.

13. Crudus item eorum error resecatur, qui nescio quam universalem justificationem vel ante tempora secularia vel in tempore factam, quâ Deus omnes in universum homines, tam incredulos, quam credentes, remissis peccatis sine fide justos reputaverit, somniant: cum tamen absq; fide impossibile esse Deo placere, & quod non est ex fide peccatum esse, quiq; non credat, jam judicatum, disertè scriptura pronunciet.

Ebr. 11, 6.
Rom. 14,
24.
Ioh. 3, 18.

14. Caterùm αἰτίον κύριον, efficiens prima & summa justificationis, Deus est, seu tota sacrosancta Trinitas, operi tanto autor longè convenientissimus. Ex. 34, 7. Esa. 43,

Causa efficiens principalis.

25. Rom. 8, 33.

15. Decebat quippe, ut cuius fuerat ἡ πλάσις καὶ ἡ κλισις, eiusdem etiam esset ἀνάπλασις καὶ ἀνάκλισις, ut S. patres, Iustinus & Athanasius, loquuntur.

16. Liqueat hinc abominanda Romanensium impietas, qui hominem sui ipsius è viribus proprijs justificatorem quâdamtenus & ex semisse, statuunt: quod dogma longè plus absurditatis in sese continet, quam si sui ipsius conditorem fuisse hominem iudem assererent, cum maius sit opus justificatio quàm creatio.

17. Altera efficiens, ἡ προηγμένη, est gratia seu favor gratuitus, ἐλεῶ, χρηστότης καὶ φιλανθρωπία Dei opt. max qui respiciens summam nostrum ad imaginem ipsius condito-

αἰτίον
προηγ-
μενον

conditorum miseriam, in quam aſtu Sathana prolapsi
eramus, sic dilexit nos, ut filium suum unigenitum pro no-
bis daret. Iob. 3, 16. Rom. 3, 24. & 5, 8. & 8, 32. Eph. 4,
2. Tim. 1, 9. Tit. 3, 4. 5. I. Iob. 4, 9. 10.

Rob. Bel-
larm. T. 3.
de justific.
lib. 2. c. 3.

18. Execramur hoc in loco Papistarum malitiam,
qui ut juratos gratia divina hostes cum Patriarcha suo
Pelagio sese demonstrant, non rectè dici impudenter asse-
runt, Deum per suum favorem aut per suam benevolentis
am nos iustificare: Sed gratiam Dei χάρισμα. quali-
tatum nobis inherentium, & infusum charitatis habitum
interpretantur, qui Sp. sancti donatione credentibus ob-
tingat, cuius merito postmodum homo reddatur Deo acce-
ptus & aeternâ vitâ dignus.

Rom. 5,
15. 17.

19. Quam κοβείαν præter συνωνυμίαν & vocum alia-
rum, quæ allata modò sunt, æquipollentiam, D. Paulus e-
gregiè refutat, dum disertè inter gratiam ipsam & donum
per gratiam distinguit: imò gratiam è diametro opponit
operibus non tantùm gentilium, sed & renatorum ipso-
rum, uti patet ex locis antè citatis.

Cauffame-
ritoria.
Ex. 17, 15.

20. Quia verò non minus iustus quàm misericors
Deus est, & iustificationem impij nullâ prorsus intervenis-
ente satisfactione abominatur: ne quid infinita Dei iusti-
tia, quæ peccatis hominum offensa erat, detrimenti cape-
ret, ita largiter exerente sese gratiâ: meritoriam etiam
causam, eamq; æquivalentem, accedere necessum fuit.

21. Est ea Filius Dei unigenitus (cum nemo alius nec
in cælis nec in terrâ partes has in sese recipere potuerit)
qui propter nos homines & propter nostram salutem de
cælo descendens homo factus est, & par omnibusq; nu-
meris absolutum λύτρον pro nobis dependit.

22. Consistit autem hæc Christi satisfactio in obedi-
entiâ

entiâ Deo pro nobis præstitâ, quæ activa partim, uti lo-
quuntur, partim passiva est.

23. Activa vocatur, quâ nostri gratiâ legi se subijs-
ciens omnes eius partes perfectissimè Christus adimplevit.
Matth. 5, 17. Gal. 4, 4. 5.

24. Passivam appellant, quâ patri cœlesti factus obe- Phil. 2, 8.
diens esse Christus scribitur, non extremo tantùm illo tri-
duo ad mortem usq; crucis: sed innumeras etiam totâ vitâ
externas partim, partim internas afflictiones pro nobis
perferendo. Esa. 43, 44. & 53. 1. Pet. 1, 19. 1. Ioh. 1, 7.

25. Vtraq; hæc obedientia λόγον fuit pro peccatis o-
mnibus omnium hominum perfectissimum, cum non ψιλὸς
ἀνθρώπος, imò nec Angelus illam præstiterit, sed ipse Filius
Dei, legislator ipse (qui ut superiorem agnoscit neminem,
sic nec ulli obedientia per se obnixus fuit) in & cum assum-
ta atq; in unitatem sui ὑφισταμένως unitâ carne nostrâ, perq;
eam, non tantum ὀργανικῶς sed & ἐνεργητικῶς, plenissimè
legi satisfecerit, pœnasq; quas nos promeriti eramus, in se
derivando pertulerit.

26. Ac ut non tantùm ἰσόμειρος esset, sed & multis modis
ὑπέρμειρος redemptio nostra: ex conceptione etiam Christi
ac natiuitate sacrosancta, imò & ex resurrectione victo-
riosâ ascensuq; glorioso & interpellatione pro nobis ad
dextram Dei patris, fructus ad nos emanat uberrimus.

27. Nobis enim natus est puer: filius datus est nobis: Esa. 9, 6.
qui etiam propter justificationem nostrâ surrexit: Et si Rom. 4,
quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Iesum 25.
Christum iustum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris 1. Ioh. 2, 1.
non pro nostris autem tantùm; sed etiam pro totius mun- 2.
di.

28. Ελεγχῶ hinc desumi potest plurimorum erro-
rum,

rum, imprimis Pontificiorum; qui I. non contenti unico Mediatore & Redemptore Christo, matrem ipsius Mariam virginem, S. Franciscum, sanctimonialem Claram, imò totum beatorum cœlitum chorum ipsi socios adiungunt.

Baruch. 5.
20.

29. II. Diploidi iustitia & meriti Christi panniculos & τρύβαλα opellorum suorum assuunt, castitatem suam (qua ut plurimum ne cassâ quidem nuce redimenda) paupertatem, ieiunia, abstinentiam à certis cibis (qua tamen sine defectu esse præpingues ipsorum aqualiculi testantur,) preculas (id est, sonos sine mente datos) vigiliis, chameuniis, rasuras, unctiones, & sanctissima illa pediculorum habitacula monachorum cucullos, qui omnes fugant demones, & rectâ ad cœlum, (si credere fas est) evehunt: & qua sunt mercium istarum rancidarum apud insitiores fori Antichristiani alia.

Concil.
Trid. Sess.
6. Can. 1.
& 3. d. 15.
Sept. 61.

30. III. Christi Servatoris sacrificio ἱλαστικῶ in arâ crucis semel ἀληθῶς καὶ τελείως peractò, virtutem saltem non omnem derogant, dum instituto novo missæ sacrificio, Christi corpus in eo pro peccatis, pœnis & satisfactionibus & vivorum & defunctorum quotidie offerre sese nefanda cum blasphemîâ iactant.

31. IIII. Nec mitius alterum illud est, quod Christum non pro peccatis omnibus, sed originali saltem (addunt aliqui, pro actualibus baptismum antecedentibus: & neo-terici adhuc liberaliores largiuntur, pro peccatorum etiam actualium omnium culpâ seu reatu & pœnis aternis, non tamen temporalibus) satisfecisse perhibent: residua vel bonis operibus in hac vitâ, vel diris cruciatibus in igne purgatorio luenda & expianda nobis esse.

For. Conc.
cap. 3.

32. Caterùm & illorum detestanda est doctrina, qui Christum vel secundum divinam solummodò naturam, vel

vel etiam duntaxat secundum humanam naturam justitiam nostram esse docuerunt: quem posteriorem errorem Romana Ecclesia per Iesuitam Bellarminum nuper suum fecit, qui expressè scribit, principium, quo opera Mediatoris ab ipso facta fuerint, fuisse naturam humanam, non divinam: quæ ipsissima Stancari est opinio.

Bellarmin. T.
1. p. 1. l. 5.
c. 1.

33. Porro meritum hoc Servatoris cum extra nos alienâ virtute, Christi sc. partum, ociosum nobis existeret, nisi nostrum evaderet, quomodo illius participes nos redamur, ulterius jam dispiciendum.

Causa
formalis.

34. Fit autem illud nostrum per imputationem (formalem nempe justificationis causam) qua duabus constat partibus, scilicet ut dicitur, condonando & donando.

35. Primum enim illud quod adest, non imputatur: id est, peccata quibus polluti sumus & manemus, quandiu vivimus, & reatus eorum pœnæ, propter Christum, qui pro nobis factus est peccatum, remittuntur. Psal. 32, 1. 2. Luc. 1, 77. Rom. 3, 25. & 4, 7. 8. 2. Cor. 5, 19.

36. Deinde illud quod non re ipsa adest, adesse tamen reputatur: id est, justitia Christi, quam ille legem implendo acquisivit, nobis omni justitiâ destitutis, non secus ac si ipsi prestitissemus id omne, quod Christus præsstitit, reverâ imputatur. Gen. 15, 6. Jerem. 23, 6. Rom. 4, 3, 6. 1. Cor. 1, 29.

37. Hinc præclare Bernhardus alicubi, fateor, inquit non sum dignus ego, nec proprijs possum meritis regnum obtinere cælorum. Caterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hereditate sc. Patris & merito passionis: altero ipse contentus alterum mihi donat, ex cuius dono, iure illud mihi vendicans, non confundor.

In vita es
ius cap. 12

38. Faceat ergo frivolum illud Pontificiorum cavillum de imaginariâ & umbratili iustitia, qua cum rei

Sess. 6. cap.
7. d. 13.
lan. 47.

B

veritate

veritate non sit coniuncta, cuius insimulatione Ecclesias nostras Tridentini patres insidiosè praegravare canantur.

For. Conc.
cap. 12.

Conc. Tri-
dent. d. 1.
Bellar. T. 3.
lib. 2. de
justifi. cap.
2.

39. Quin & doctrina eorumdem (quam hic cum Anabaptistis etiam communem habent) longè à piorum animis & auribus absit, quâ formalem iustificationis causam constituunt modò unicam, nempe iustitiam Dei, quâ nos iustos faciat, quâ renovemur spiritu mentis nostrae, iustitiam in nobis recipientes unusquisq; suam secundum mensuram, quam Sp. Sanctus partiatur singulis pro ut velit, & secundum propriam cuiusq; dispositionem & cooperationem: modò eidem remissionem peccatorum adiungunt.

40. Nec minus valere iubemus cognatum A. Os-
andri commentum, qui iustitiam fidei, qua liberet à morte, qua iustificet impium cor in Deo ad vitam aeternam esse dixit infusam iustitiam, in quâ omnes virtutes includantur, qua faciat, ut iusta faciamus, qua peccata mortificet: Et hanc iustitiam esse divinam essentiam inhabitantem in credentibus, & quidem cum efficiat, ut iusta agamus.

Causa In-
strumenta-
lis.

41. Imputatio autem hac iustitiae Christi, cum instar doni cuiusdam sese habeat, non à seors, sed geminâ interveniente manu quasi & organicâ causâ. dantis unâ, alterâ accipientis, obtingit.

Aug. Conf.
fess. art. 5.

42. Prior illa, ex parte Dei, est ministerium docendò Evangelij & porrigendi sacramenta.

43. Nam per verbum & sacramenta, tanquam per instrumenta, donatur remissio peccatorum, iustitia, Spiritus S. fides & vita aeterna. Ioh. 3, 5. Act. 2, 38. & 10,

44. Rom. 1, 6. & 4, 11. 2. Cor. 3, 9. Eph. 5, 26. Tit. 3, 5.

For. Conc.
cap. 12.

44. Hallucinantur hic graviter Enthusiasta, Anabaptista, Schuvenkfeldiani, & ex Sacramentarijs non parùm multi, qui verbum Dei & sacramenta media esse persueverunt negant.

negant, quibus Deus Spiritus sanctus homines doceat, & per quae ipsis donet veram Christi agnitionem, poenitentiam & fidem, & quibus in ipsis novam obedientiam operetur.

45. Posterior instrumentalis causa, ex parte nostri, sola & unica fides Christi est: non autem quâ Christus creditur, nec quâ Christo simpliciter creditur: sed quâ in Christum creditur, h. e. quâ homo peccator lege Dei territus ad thronum gratiae & salutis autorem Christum confugit, in eiusq; merito promissionibus Evangelicis de gratuita remissione peccatorum oblato apprehensoq; firmâ animi fiducia recumbit, certò sciens, se in gratia Dei constitutum, salutis & aeternae vitae heredem esse.

46. Probant hoc justificationis organum non nuda tantum divinatorum oraculorum assertiones, Hab. 2, 4. Ioh. 3, 16. Rom. 3, 22, 28. Gal. 2, 16. Sed & sanctorum Patrum inde ab exordio mundi exempla, Act. 15, 11. Rom. 4, 3. Ebr. 11. nec non rationes, quae à D. Paulo in Epist. ad Rom. & Gal. afferuntur, firmissimae.

47. Quod verò justificandi facultas fidei tribuitur, non id formaliter fieri putandum est, quasi fides absolutè, quâ opus quoddam, virtus, habitus & qualitas est, illud omne praestet.

48. Hoc enim respectu iam antè legi debita fides est, & tanta non est quanta esse debebat; sed manca & mutis la, ut nullum eius coram Deo meritum esse possit.

49. Sed iustificat ὁργανὸς, quatenus relatè se convertit ad promissionem gratiae de Christo, eamq; verâ fiducia apprehensam sibi vendicat.

50. Unde etiam à D. Paulo fides ad iustitiam nobis Rom. 4. imputari dicitur, non quod ipsa tanti sit valoris tantaq; dignitatis, ut suo quodam merito iustificare queat, qui

Gnosticorum olim error fuit; sed ουνοδοξινως, praestantiam meriti Christi, quod amplectitur: quemadmodum annulus ob gemma alicuius, quam inclusam continet, nobilitatem ac praestantiam tot vel tot aureis valere dicitur.

Sess. 6 can.
9. & 10.

51. Anathematis fulmine (bruto tamen) doctrinam hanc de fide iustificante, & professores eius feriunt Tridentini patres: ipsiq; contra dispositionem suam, sanctificationem & renovationem interioris hominis substituunt, vel saltem spem & dilectionem cum fide coniungunt, ac sic fide operibus formata, nescio quo monstro, iustificari nos nugantur.

52. Qua in parte bis stolidi sunt & impij Papista, tum quod opera spei & dilectionis, quae non sunt nisi iustificatorum, & iam ante mille modis debita, adhuc propter carnem peccatricem imperfecta, fidei in iustificatione assuunt: tum quod eam illis ενεργειαν, quae non inest, apprehensionem scilicet & applicationem obedientiae Christi, attribuunt.

53. Nec est, quod licet nobis intentent de particula exclusiva, quod SOLA fide hominem iustificari asserimus.

54. Vt ut enim illa maxime κατὰ γράμμα in scripturis sacris non reperiatur: quo ad sensum tamen & sententiam (quae scriptura cuiusq; anima est) haberi evidentissimè, insicari minimè possunt.

55. Quid enim sibi vult aliud Apostoli palmarium Gal. 2, 16. illud, iustificamur NON NISI per fidem Iesu Christi, quam SOLA fide nos iustificari? Et illud alterum Rom. 3, 21. 24. 28. Iustificamur χωρὶς νόμου, χωρὶς ἐργων νόμου, δωρεάν, τῆ ἰδὲ χάριτι, per fidem &c. & tertium: ei qui non operatur, credit autem (ubi Syra paraphrasis particulam *ἰδὲ* id est, soliem, inserit) in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam.

Accedit

56. Accedit quod non primi nos isthac voce utimur, sed multis retrò seculis beati patres numero plurimi, auctoritate gravissimi, Origenes, Hilarius, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus &c. & in ipsis tenebris Pontificijs non nemo, eandem urserunt: quorum omnium testimonia in libellis nostratum methodicis ubiq; prompta sunt & obvia.

57. Neg, tamen ita adhibemus hanc voculam, quasi vel reliquas iustificationis causas excludere velimus, vel bona opera ita exterminare, ut nec iustificandum sequi debeant (qui furor Basilidis, Aëtij & similium quondam fuit) sed saltem ne vel alia iustificationis organica causa, quam fides, statuatur; vel in iustificationis forum bona opera quoquo modo irrumpant, prog; causis quibuscung; tandem sese venditent.

58. Non minus in doctrinam fidei & meriti Christi blasphemus est alter Romanensium anathematismus, quem ijs dicunt, qui iustitiam acceptam per bona opera non conservari atq; etiam non augeri docent, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse iustificationis adeptæ, non etiam ipsius augendæ causam.

Conc. Trid.
den. sess. 6.
cap. 10. &
can. 24.

59. Scriptura enim disertè easdem, quæ efficientes fuere, conservantes iustificationis causas constituit. 1. Pet. 1, 5. Rom. 5, 2. Phil. 3, 9. Et Abrahamo iam multis annis converso & renovato fidem, non opera, fuisse ad iustitiam imputatam, Paulus testis est, Rom. 4.

60. Et quæ ἀπὸ τῆς διανοίας quæso est, statuere, quod effectus causam, fructus arborem, bona opera fidem & iustificationem conservent?

61. Tandem cum doctrina fidei δις διὰ τῶν πῦν pugnat abominandum dubitationis pontificia dogma, quod Conc. Trident. sess. 6. cap. 9. can. 13.

rè iustificati sunt, absq; ulla omninò dubitatione apud se-
metipsos statuere, se esse iustificatos.

62. Egregium sanè theologia Papiſtica emblemã; que omni solida consolationis momento destituta in dubi-
tationes conijcit, ex dubitatione in gravissimas tentatio-
nes, ex tentationibus in desperationem, ex desperatione in
aeternum corporis & animæ exitium precipites agit.

63. Scriptura verò fidem salvificam definit non Aca-
demicam aut Scepticam ἐποχλῶ, non Διχρησιῶν aliquam:
sed πληροφορίαν, πεποίθησιν, ἰσχύσιν, ἔλεγχον, παρρησίαν:
Christus non dubitare filios suos: sed confidere, bono ani-
mo esse iubet: Paulus certum se esse de salute sua confir-
mat.

Finis & ef-
fectus.

64. Fines demum & effectus iustificationis in defi-
nitione adduntur, qui sunt præcipuè, gloria Dei, Prov. 16,
4. 1. Cor. 10, 31. ὑποθεσία, Ioh. 1, 12. Gal. 4, 5. Donatio
Spiritus sancti, Ioh. 7, 39. Gal. 3, 2. 14. & 4, 6. Salus ani-
mæ, Ioh. 3, 16. 1. Pet. 1, 9. & novitas vitæ seu studium
bonorum operum. Luc. 1, 74. 75. Ioh. 12, 46.

II. Pars
Disputati-
onis de
bonis o-
peribus.

65. De prioribus cum nulla magnoperè sit controver-
sia, de posteriori, quo de his hodiè agitur, breviter ὡς ἐν
παρόδῳ iam dispiciemus.

66. Suntq; BONA OPERA actiones manda-
ta divinitus, facta auxilio Spiritus sancti fideq; pralucen-
te ab his, qui sunt in gratia; ut Deus inde glorificetur, &
inserviatur proximo.

67. Mandatum divinum de substantia bonorum
operum esse, Deus ipse autor est, Deut. 4, 1. 2. & 12, 32.
Matth. 15, 9.

68. Quæ autem sint opera illa à Deo mandata, dua-
rum tabularum leges ostendunt.

69. Non ergò bona, sed mala opera erunt ἡθελο-
θρησκείαι

De quibus illa in malignantium apud Pontificios Ecclesia, quas ipsi tamen preceptis & ll. divinis equiparare non dubitant, cum expresso Dei mandato sint destituta.

Concil.
Trid. sess.
6. c. 11.
Cap. 20.

70. Consiliorum item & operum, quae barbara impietate vocant, supererogationis, figmentum omne in fumos & ventos abit.

71. Si enim non sunt opera bona, nec Deo probantur, nisi quae ab ipso mandata sunt: quis quaso consilij locus erit? & si facienda tantum quae Dominus praecepit, nec addendum quicquam: quomodo quae ultra postulatam divinum adduntur, bona aut accepta Deo fuerint? Siq̄ ita comparata sunt divina mandata, ut metam ipsorum assequi nobis in hac vita sit impossibile: quomodo ultra debitationes indebitum aliquid Deo praestabimus?

72. Patet hinc itidem, bonorum operum studium seu novam obedientiam, quamvis in renatis non ex coactione sed spontaneo spiritu proficiatur, non ita liberum esse, ut in eorum arbitrio relictum sit bene aut male agere, quando ipsis visum fuerit: sed debitum istud esse & necessarium, non ad salutem quidem, sed ob mandatum Dei, & causas alias, quae vulgò recitari solent.

For. Cone.
cap. 4.

73. Neq̄ verò tantum mandatum Dei requiritur ad operum bonitatem, sed necesse est etiam, ut persona operans sit renata, ut opus ex agente Spiritu sancto & vera fide proficiatur. Ioh. 15, 4. Rom. 14, 23. Hebr. 11, 4. &

74. Vnde constat, quid de virtutibus gentilium sentiendum sit, nimirum, quod licet suam coram mundo laudem habeant, à Deo etiam premijs corporalibus ornentur, cum tamen & efficiente vera & forma, quin imò & sine iusto careant, pro bonis operibus minimè sint habenda.

75. Notandum hinc etiam, quod quamvis vita novitas ab ipso Spiritu sancto in renatis inchoetur, bona ta-

MEM

Rom. 7,
23.

men eorum opera adhuc imperfecta esse, manca, mutila,
& propter legem peccati, quod habitat in membris eorum
in huius vite infirmitate, contaminata.

76. Tandem finis verus & legitimus adsit oportet,
qui est precipue, gloria Dei & usus proximi. Matth. 5, 16.
I. Cor. 14, 26.

77. Sinistrè ergò sapiunt non tantùm malè feriati
Papistæ, qui præter hosce fines bonis operibus salutis etiam
meritum assignant: sed & alij quidam schismatici, qui
bona opera ad salutem necessaria esse dicunt: im-
possibile esse salvari sine bonis operibus, neminem unquam
sine bonis operibus salvatum esse &c. quas locutiones cum
non sint ὑποδύοται ὑγιαίνόντων λόγων conformes, cum Pa-
pismum nimis fædè redoleant, cum turbatis conscientijs
offendicula tendant, meritò facessere iubemus.

78. Nec minus crudam eorum Theologiam detesta-
mur, qui bona opera ad salutem esse perniciose contende-
runt.

Phi. 3, 7.
8.


79. Quanquam enim ijs, qui iustitia & salutis fidu-
ciam in operibus collocant, Apostolo teste, perniciose illa fi-
unt: culpa tamen hac accidentaria est & vana saltem fi-
ducia, non ipsorum operum per se, quorum aliàs saluberr-
imus usus est.

I. Cor. 1,
30.

80. Filium Dei, Christum Iesum, qui à patre cælesti
factus est nobis redemptio, iustitia & sanctificatio, roga-
mus toto pectore, ut sanctum hoc iustificationis & sancti-
ficationis nostræ depositum illibatum inter nos conservet
nosq; vasa misericordia & gloria esse sinat seculis infinitis.


A M E N.





B.I.G.

Farbkarte #13



DISPUTATIO XI.
De
IVSTIFICA-
TIONE HOMINIS
PECCATORIS CO-

RAM DEO:
ET DE

BONIS OPERIBVS:


Cujus theses
Deo benè juvante,

PRASIDE

LEONHARTO HVTTERO,
SS. THEOLOGIAE
DOCTORE:

Ad XI. Septemb. Anni c 19. 19. XCVI.
horis & loco consuetis defende-
re conabitur

M. NICOLAUS REBHAN
Hainersdorfensis Fr.



I E N Æ

TYPIS TOBIAE STEINMANNI.



35

